

& sic duo sunt, aut formaliter, aut æquiualeuter, ex quibus vnum non est commune: vnde irrefragabilis est consequentia.

3. Ex quibusdam alijs cum limitatione concessis.

157 Tertio. Quia si alicui concedatur priuilegium vt non ieiunet in quadragesimâ, exceptis tamen diebus Veneris: nullus dubitare poterit, factâ talis priuilegij communicatione, cum suâ restrictione transire; & idem est in casibus similibus. Et potest exemplum etiam adduci in casu ab omnibus admisso vt à Religiosis recipi Eucharistia possit, excepto die Paschæ; nullo extante priuilegio, quod Paschalem Communionem concedat. Tunc ratione communicationis non licebit illa, quia est limitatio priuilegij, & cum eâ debet extendi: ergo idem etiam dicendum quando limitatio additur quoad modum fruendi illo. Patet consequentia; quia ratio est eadem: immo & maior videtur in casu nostro, quia maior est extensio, & maioribus inconuenientibus exposta.

4. Ex comparatione perfectionis inter Religiones.

158 Quarto Religio, cui communicatio fit, aut æqualis perfectionis est cum ea, cuius participat priuilegium, aut inferioris: adde etiam, vel maioris. Si æqualis, aut maioris, ablatio restrictionis non minùs erit illi dispendiosa, quàm alijs, cui restrictio ob illius spirituale commodum est imposita: ergo nequit de Pontificis voluntate præsumi priuilegium velle sine limitatione transire. Si autem minoris; præsumptio etiam locum non habet: quia incredibile est minùs perfectis liberaliorem se Sedem Apostolicam exhibere. Vbi dici nequit cum diuerso modo gubernationis Religionum, quantumvis perfectæ sint, stare posse vt ablatio restrictionis nihil incommodet. Nam vrgeat efficacissimè, ex eo quod restrictio dicta propterea vilis iudicatur, quia sic feruatur debita subordinatio inferiorum respectu Superiorum, & inconuenientia vitantur, quæ ex absolutâ & libera facultate Religiosi cuiuslibet sequi possunt: atqui hoc respectu cuiuslibet Religionis est maximè conueniens, & nullus alius gubernationis modus esse potest, per quem prædicta saluentur: ergo quod de diuersa gubernatione dicitur, minimè satisfacere potest: quæcumque enim alia quoad hoc defectuosa est.

5. Ex conuenientia dependentia a superioribus in vltimo priuilegio.

159 Quinto. Quod Religiosi in rebus quibusdam à Prælatorum dispositione pendent, & præsertim in materiâ priuilegiorum, non est contrarium modo gubernationis eorum, vnde Pontifices illa concedere solent cum dependentiâ ab ipsis, vt videri potest apud Dianam *suprà. Resol. 14.* Ergo propter gubernationis modum non debet affirmari limitationem non pariter cum priuilegio transire. Quod si dicatur non esse iuxta gubernationis modum quod subditi à Generali in priuilegiorum vsu dependant, quia id esset nimis onerosum, præsertim in numerosis Ordinibus. Id certè non vrget: nam sine recurſu ad Generalem stare potest vsus priuilegiorum, si illi, quæ ad hoc spectant, Prouincialibus committant: neque ex eo modus gubernationis immutatur, quod circa vsum priuilegiorum aliquorum genus aliquod prouidentia specialis adhibeatur.

Vltima ex grauibz inconuenientibus.

160 Tandem, ex contrariâ positione graui, vt iam indicauimus, inconuenientia sequuntur: ergo non est admittenda. Illatio est certa ex

receptissimo illo principio, quod ex P. Suario est positum *num. 154.* quod communicatio priuilegiorum non est extendenda cum dispendio disciplinæ regularis, vniuersitilque Instituto & regimini accommodatæ. Antecedens autem ostenditur. Quia ex communicatione sine restrictione sequitur vt Religiosus quilibet heri factus Presbyter, possit pro arbitrio in rebus magni momenti procedere: quæ quidem in Religione alia, cui priuilegia cum dependentiâ à Superioribus concessa sunt, non nisi probatis, & de quibus confidè plenè possit, conceduntur. Et hæc quidem de causa, & non tantum ob conuenientem subordinationem, restrictio est à Pontificibus adhibita. Et hic sanè est Ecclesiæ stylus, iuxta cuius leges Confessarij non nisi post attentum examè ad ministerium illud admittuntur: vnde & ad illa, quæ forum illud concernunt, & ordinaria non sunt, & ita pro illis concessa inueniuntur priuilegia, non sunt indifferenter admittendi. Cum ergo talis Ecclesiæ spiritus sit, non sine dispendio Ecclesiasticæ disciplinæ stare potest defectus in eo repertus; & consequenter non sine dispendio regularis obseruantia: cum gubernatio Religiosa nihil sit aliud quàm Ecclesiæ, & satis quidem nobilis, vt potè quæ Euangelicæ militet perfectioni.

In contrariâ aduersa non vrget.

161 Neque adducta quidquam vrget pro sententiâ illâ, ex quo etiam noua ratio potest contra illam instrui. Quod enim priuilegia primò concessa sint, & postea adiecta restrictio, probaret quidem communicationem sine illâ futuram, si ante restrictionem adiectam contigisset: non tamen sic accidit, sed postquam restrictio apposta est, communicatio successit. Quod autem additur de limitatione illa pro Societate apposta: *Dummodo Instituto Societatis, &c.* que nõ extenditur ad alias Religiones pro communicatione priuilegiorum aliarum Religionum, non video quomodo stare possit eum doctrina P. Suarii, & principio illo generali, de quo nuper; quod scilicet comunicatio priuilegiorum in vnaquaq; Religione intelligenda est, quæ sine dispendio regularis disciplinæ stare possit, & sit Instituto accommodata. Non videtur ergo restrictio illa ad intentum conducere, quia non est ex illarum genere, de quibus loquimur, sed generalis cõditio omni communicationi cohærens: & tantum abest, vt resolutioni nostræ obſtare possit, quod ex illa potius efficaciter comprobetur.

In Indijs specialiter resolutionem posuimus militare.

162 Et ea quidem pro Indijs specialiter obseruanda, quia summus Pontifex in Bullâ donationis earum regionum Regibus Catholicis factæ, Ministros jubet mitti selectos, de quorum dotibus dictum *Titulo 1. Cap. 3.* Ad illos ergo pro negotio tanto sufficienter instruendos priuilegia Apostolica dirigitur; vnde non est credendum cuiuslibet sine delectu esse communia. Et ita licet in Religionibus non sit communiter talis gubernationis modus, vt ad Generalem pro communicatione priuilegiorum recurratur; ad eum tamen spectat circa illorum conuenientem vsum prouidere: & sic Prouinciales admonere ac præcipere vt illa moderentur: amissuri profectò illa, nisi ita fecerint: *Quia priuilegium amittere meretur, qui permissâ sibi abutitur potestate.* *Cap. Tuarum,* de priuilegijs. Vnde nequit ad modum regiminis pro absoluto & independenti vsu prouocari: nam potestas moderandi vsum dictum conuenit ex

Cap. Tuarum, de priuilegijs.

naturâ

naturâ Religiosæ institutionis: neque alia est Pontificum meas, qui nihil plus exoptant, quàm vt Religiosi debitam subordinationem seruent; & quod priuilegiorum concessio, per eorumdem abutim non reddatur Ordinibus, & Ecclesiæ filijs exitiosa.

Difficultas sexta. An communicatio Priuilegiorum ad Nouitios se extendat

Nouitios communicatioe frui.

163 Negant aliqui: sed communis sententia affirmat, & est consequens ad dicta *suprà. Titulo 5. num. 258. & 340.* Pro Societate est specialis concessio Gregorij XIII. de quâ in compendio communi. Verb. *Communicatio gratiarum, s. 5.* quæ tamen viuz vocis oraculo facta est, vnde & videtur expirasse. Ex eo autem quod specialis concessio imperata est, & quidem à doctissimo Pontifice, posset aliquis communem doctrinam in dubium reuocare; vnde & negauit illam Horatius Mandocius in *Traçtatu de Priuilegijs, ad instar. Glossa 7. num. 32. & seqq.* & in Societate ratione priuilegij tantum admittendam contendere. Sed est illud leue fundamentum: quia multæ Pontificiæ concessiones sunt ad scrupulos tantum submouendos, & vt id, quod probabiliter fieri posset, certiori jam oraculo teneatur. Pro quo in Verb. *Hora Canonica, Ieiunium,* & alijs, occurrunt aliqua, & de Indicis loquendo in Bullis Pauli Urbani, & Innocentij sic habetur: *Nec non ipsi Presbyteris, in eisdem Insulis & locis prædictis constitutis, quibus aliqua Eucharistia fragmenta seu minucie pro tempore intercederint, etiam post peractum sacrificium, absque villo conscientie scrupulo, iuxta Rubricas Missalis Romani, reuerenter sumendi.* Sic illi. Pro quo tamen necessarium priuilegium non erat, quia id generaliter fieri posse, tenent multi Doctores, vt videri potest apud Dianam *Tomo 1. Traçt. 14. Resol. 66. & Balsæum verb. Communio sacra, num. 51.* quia aduertunt id de particulis intelligendum ex eodem sacrificio relictis, non de alijs: quod & prædicta Pontificia concessio satis insinuat, de quo inferius magis ex professo. Licet ergo concessio pro Nouitijs facta viuz vocis oraculo fuerit, & consequenter expirauerit, communis tamen resolutio potest. Est tamen alia verosimile non expirasse illam, quia tantum habet vim declarationis, etiamsi concessio dicatur: declarationes autem non esse reuocatas, iam diximus, neque circa id est opus amplius distineri.

Priuilegijs ad tollendos scrupulos circa particulam in Missâ.

Quid Nouitio Confessario concessatur.

Quid possit a superioribus communicare, vel communicatis, aut concessis etiam aliunde, & a quouis, etiam à Præposito Generali, vel à Summo Pontifice, vtendi facultatem facere: ita eorumdem fore, illarum eis vsum, cum expedire iudicauerint, vel limitare, vel etiam omnino suspendere. Sic ibi. Quod & Superioribus localibus etiam conuenire constat ex ratione indicata verbis illis: *Cum expedire iudicauerint.* Vt paucis attingit P.

Proemium Compendij.

Quintanad. *Tomo 1. Traçt. 5. Singulari 8. num. 4.* dum dixit: *sine causa.* Nam & illi possunt inconuenientia in vsu prædictorum aduertere, quibus oporteat statim contra ire. Quamuis aliâ in admonitione prædicta oppositum indicetur: potestas enim limitandi cum potestate communicandi confertur, & eidem dicitur respondere: Superiores autem locales priuilegia non communicant, vnde nec limitandi potestas ad eos videtur pertinere. Quod autem & Prælati aliarum Religionum limitare etiam Nouitijs vsum priuilegiorum possint, mihi est pro comperto: adducta enim *num. 162.* magis pro illis vrget.

Notanda doctrina circa Prælatos omnes.

Difficultas septima. Que priuilegia in Indijs censeantur Societati ratione communicationis concessa, etiamsi à R. P. Generali non fuerit eorum vsus in speciali concessus.

165 Circa hoc Primò statuendum est, omnia illa priuilegia, quæ ad tollendos scrupulos concessa sunt, omnibus esse communia, & pro Indijs suffragari, vt qui in remotis illis partibus degunt, eo leuamine perſuuantur, siue ergo talia priuilegia in Compendijs extent, siue non, eorum vsus licitus & validus est ob rationem dictam: & quia aliâs sine priuilegio licite ea, pro quibus conceduntur, possent exerceri: neque ex eo quod prætermissa in Compendijs sint, debent non practicanda censerî, quia aliquando omittuntur aliqua, quorum vsus licet. Quemadmodum in Compendijs communis proemio dicitur. *Quod licet in eo sæpenumerò sit mentio de Professo, tum Societatis, tum aliorum Ordinum, aduertendum est iuxta diuersa Societatis priuilegia, quidquid de illis dicitur, intelligi etiam debere de Nostris, qui tria vota simplicia post biennium emisserunt, nisi forte aliquid in aliquo loco excipiat. Vbi de Nouitijs nihil dictum: cum tamen constet ex dictis numer. præced. priuilegia etiam ad illos extendi. Quod ergo in Compendij proemio accidit, de contentis in illo est etiam existimandum, quando ea, de quibus agitur, dicti generis sunt, & de R. P. Generalis benignissimâ voluntate nequit aliter estimari. Vt abſtineamus ab illa quaestione, An, quæ talia sunt, possint prohiberi? in quæ erunt qui negent, cum in rigore priuilegia non sint, sed quædam leuamina conscientia, quæ à Pontifice amantur, prouidentur; quibus etiam leuandis debet supremus Religionis Prælatum attendere, non satis facturus aliâs muneri quod paternam exigit pietatem.*

Priuilegia ad tollendos scrupulos omnibus communia, & specialiter pro Indijs.

Compendij commune.

166 Ponendum secundo tamquam omnino certum, priuilegia, quæ Generali immediatè conceduntur, vt per eum ipsorum vsus in Societate disponatur, ita illius licentiam requirere, vt vsus talis sine illa non solum sit illicitus, sed etiam inualidus. Quæ quidem est omnium eorum mens, qui in Societate de hoc possunt scientificè iudicare, & aliorum etiam scriptorum extra ipsam: de quibus *num. 153.* dum de limitatione apposta inquirunt, an debeat cum priuilegiorum communicatione transire. Cum enim priuilegia immediatè Generali concedantur, & non alteri, satis apparet clarum, illis vtentem id, quod sibi non

Certa quædam de vsu inualido sine licetia Generalis.



competit, usurpare. Peccat ergo grauer id faciens, quod sublato priuilegio, peccatum esset mortale: quia priuilegium non plus suffragatur illi quam si neutiquam extaret. Et ex eodem principio constat actum esse nullum, si ad illum necessaria est iurisdictio, aut facultas, quæ solum potest beneficio priuilegij constare: vt absolutio, alienatio, consecratio aut benedictio. Circa quod quidem nonnulli plura fundamenta congerunt, minimè tamen necessaria in re ad eam certà: quando enim talia probari anxie solent, suspicionem solent etiam incertitudinis generare.

Obiectio ex eo quod Regula in Societate non obligat sub peccato, disticta.

167 Vbi illud tantum videtur obiecti posse, Regulas, & Ordinationes Superiorum in Societate non obligare sub reatu peccati, etiam venialis: prohibitionem autem illam de non utendo priuilegijs sine licentia R. P. Generalis, tantum vim Ordinationis habere aut Constitutionis. Sed certè id nullius est momenti: quia prohibitio dicta neque Regula est neque Ordinatio, aut Constitutio, ab ipsa Societate condita; sed Pontificæ concessionis additamentum, sine quo Apostolica Sedes non vult priuilegiorum vsum in Societate valere. Cum ergo in Constitutionibus, & priuilegiorum Compendijs sic dicitur faciendum, id non habet vim Ordinationis à Societate ipsa profectæ, sed declarationis. Sicut cum dicitur in Constitutionibus neminem quidquam vt proprium habere posse, manifestum est declarationem illam esse obligationis, quæ ex vi voti paupertatis oritur, & est sub mortali ex suo genere. Sicut & cum dicitur in eisdem neminem res domus posse distrahare, neque ab externis accipere, infcio Superiore. Quod & docti sentiunt de prohibitionem accipiendi stipendia profacris ministris.

Ampliatio etiam concessio ad Generalem non dirigitur.

168 Ex fundamento autem predicto videtur pari certitudine dicendum nec licitum nec validum esse vsum quorumvis aliorum priuilegiorum, etiam si eorum concessio nõ ad Generalem, sed ad alios dirigatur: sic enim aliqua occurrunt. Nam id quod expressum habetur quando Generali concessione: de personalibus enim alia est ratio. Id enim ex Bullis Pontificijs constat Pauli Tertij, Iulij Tertij, Pij V. Gregorij XIII. & Pauli V. Sic & habetur in Compendio verb. Communicatio gratiarum: vbi tamen solius Gregorij concessio proponitur, quia illa est sufficiens iudicata, & extat in Bulla, quæ incipit, *Deceat Romanum Pontificem. die 3. May. Ann. 1575.* ibi: *Predicto, & pro tempore existenti Praeposito Generali Societatis huiusmodi concessa esse intelligantur.* Nec aliter ceteræ personæ dictæ Societatis, predictis priuilegijs, facultatibus, & alijs præmissis, aut aliquo eorum, nisi per Generalem Praepositum, & de eius beneplacito, aut per alium, seu alios de eius commissione electos, vt præmissum est, vti aut gaudere possint. Sic ille. Post quem cum Paulus V. modum gubernationis in Societate sub vno Capite per omnia prober in celebri Bulla, quæ incipit, *Quantum Religio*: non videtur posse dubium aliquod circa hæc relinquere, stante priore resolutione circa priuilegia expressè Generali concessa: tenor enim verborum adductus ad eam est perspicuus vt qui, eo attento, tergiversari voluerit, in meridianam censendus sit luce caligare.

Greg. XIII.

169 Vnde non videtur probanda aliquorum sententia, qui affirmant esse quidem illicitum, & peccatum mortale iuxta priuilegium operari, nõ habità per Generalem facultate, & circa hoc esse dubium non posse: & probabilius item actum esse nullum ob fundamentum dictum: nihilominus oppositum non esse post factum, vt penitus improbabile condemnandum, quia fundamentum dictum euentiam non inducit, eò quod in ordine ad valorem actus possit de R. P. Generalis voluntate præsumi pro eo non penitus refragari: quia vt ex verbis Compendiorum constat, tantum dicunt vsum non esse licitum. Et iuxta Iuris axioma celebre, semper in dubio debet ita interpretatio fieri vt actus valeat. *L. Quoties 2. De rebus dubijs.* Vbi Glossa, & Doctores. Non inquam videtur probanda: quia vel omnino certum hoc debet reputari: vel, si tale reuera non est, circa priuilegia immediate Generali concessa similiter est propter rationes eadem iudicandum. Voluntas enim R. P. Generalis potest non penitus contraria præsumi, & pro actus valore iuxta eandem iudicari. Quo fundamento etiam dici potest non esse peccatum graue in huiusmodi transgressionibus, quia non est præsumendum de benigno erga filios parente vt velit eos totaliter obligare, quod propter omnissimam licentiam reatum sint damnationis æternæ subituri. Et multoties plus damni sequitur ex eo quod in graue peccatum incurrat, quam ex inualiditate actus, qui seclusa malitia, eò quod illicitus sit, non habeat moralem, vt est comperitum. Quis autem non videat modum hunc philosophandi non esse tolerandum? Ex eo enim fieret vix esse vllam in Societate obligationem sub reatu peccati mortalis, vt benignitas præcipientium fauorabilem interpretationem habeat, & totus ille præcipiendi apparatus ad solum debeat exterius forum applicari. Cum ergo dicitur eam materiam in genere furti peccatum esse mortale, quæ in sæculo habetur talis, ad benignam erit sic declarantium voluntatem prouocandum: & sic in alijs, in quorum nonnullis poena excommunicationis admiscetur. Quæ cum constet à ratione & praxi esse penitus aliena, iuxta illa etiam est in casu, de quo loquimur, iudicandum: pro quo hic est breuis & euidentis discursus: actus requirens priuilegium, illicitus & inualidus est, si illud sit Generali concessum, & licentia eius non habeatur: atqui omnia Societatis priuilegia Generali conceduntur: vt constat ex verbis Pontificijs: ergo actus sine illius licentia factus, est illicitus & inualidus.

Aliquorum sententia de inualiditate actus & illius fundamentum.

Quæ improbatur, & pro contraria arguitur.

Breuis & euidentis discursus.

Ex modo loquendi Compendiorum ubi bene aduersantes arguere.

Compendium inuoluntatis.

170 Ex quo etiam constat non vrgere id, quod dicitur de modo loquendi in Compendijs, in quibus vsum sine licentia R. P. Generalis tantum non licitus affirmatur, nec de valore actus quidquam additur. Nam si id roboris quidpiam habet, fiet ex eo interpretationem talem generaliter adhibendam, quia vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus: constat autem verba prædicta generalia esse, & non solum ad concessa Generali, sed etiam alijs, extendi, neque ad communia tantum, sed etiam ad Indicia: vnde in Proœmio Indici Compendij sic habetur: *quoniam iuxta Litteras Apostolicas nullius priuilegij seu gratia hæcenus concessa, vel in posterum concedenda.*

concedenda vsum potest in Societate licitus esse, nisi per solius Praepositi Generalis communicationem: idcirco sicut in Compendio communi, ita in hoc Indico suis in locis adnotatum est, *quoniam gratia, quibus, ac quatenus concessa ac limitata sint.* Sic ibi. Cum ergo id, quod dicitur de non licito vlu; ad omnia priuilegia nequeat extendi, iuxta datam explicationem: satis ex eo apparet leue esse tale pro valore actus fundamentum. Quod autem talis loquendi modus inualiditatem actus inducat, ex adductis venit verbis comprobandum. Actum enim non esse licitum ex eo ostenditur ibidem expresse, quia scilicet per Litteras Apostolicas ita dispositum: neque alia voluntas Generalium Praepositorum ibi expromitur, nisi quæ eisdem Litteris Apostolicis est conformis. Atqui de mente Pontificum nequit præsumi quod de voluntate PP. Generalium dicitur: ergo satis ibidem habetur expresse vsum non tantum illicitum, sed etiam inualidum futurum. Accedit quod additur, in Compendio adnotatum quoniam priuilegia sunt concessa, & quæ limitata. Ex quo fit ea, quæ non adnotantur, concessa non esse: ergo aperte ex eo conuincitur actum esse inualidum, quia sine priuilegij concessione validus esse non potest. Neque enim dici potest concedi vt actus validus sit, sed non vt sit licitus. Vbi enim talis discriminis vel leuissimum indicium, cum concessio absolute denegetur?

Respectu Indiarum eandem dependentiam seruari.

Paulus 3.

171 Iuxta dicta iam tertio constituendum, in ordine ad vsum licitum & validum in Indijs non alio iure agi, sed eundem dependentiæ modum à R. P. Generali seruari: quod quidem ex verbis Indici Compendij nuper adductis apparet: id quod etiam Paulus Tertius, & Iulius Tertius seruandum decreuerunt, Indiarum facta mentione: nisi quod in illis communicationem medijs inferioribus Prælati faciendam ratione distantia conueniens iudicant. Quasumque gratias, concessiones, & Indultra, eisdem Generalibus dictæ Societatis Praepositis pro tempore existentibus per Nos concessa, per eorum Vicarios, aut personas ad id sibi bene visas, præsertim in Indijs, & alijs partibus remotis, pro tempore substitutas, exercere libere & licite valeant. Verba sunt Pauli Tertij in Bulla, quæ incipit, *Licet debitum*: quibus familia habet Iulius Tertius in Bulla, cuius initium, *Sacra Religio*. In quibus obseruandum illud, *Licite valeant*: per quod absoluta potestas indicatur vt id, quod fecerint, non solum licitum, sed & validum sit. Quemadmodum ergo per aduerbium *Licite* vtrumque designari potest, ita & e contrario quod non licitum dicitur, ad vtrumque etiam referri potest, vbi pro eo sufficiens coniectura succurrit.

Ratione distantia quid licere queat.

Obseruatio notanda.

172 An autem ratione distantia aliquid quandoque liceat, pro quo communicatio non extat, communis questio est, & certum ratione distantia multa licere probant. *L. Si longius L. Nemo L. Pro locis L. Mediterraneos. C. de annon. & tribut. lib. 10.* vbi Doctores, & inter alios Bobadilla in *Politica Lib. 2. Cap. 17. num. 106. & seqq. & Cap. 21. num. 118. & 119.* Iuxta illam ergo communem doctrinam in casu contingentia recurrendum. Non est autem ex eo quod Provincialibus, Praepositis & Rectoribus in suis Regu-

lis conceditur, ad id, de quo agimus, faciendum regulariter argumentum. Dispensatio enim in eiratis locis circa illa committitur, quæ specialis sunt, & quæ in Societate non obligant sub reatu peccati, Regulæ inquam, Ordinationes, Decreta, & Constitutiones: quod verò ad communicationem priuilegiorum attinet, cum sit dispensatio in iure communi, non habet locum respectu inferiorum, quando Pontifex certam formam in eo præscribit. Et licet possit Societas ita statuere, vt casu speciali vrgente priuilegium communicatum censetur: id tamen non statuit, sed potius oppositum. Nam cum circa Regulas, & alia facultatem dispensandi concedat in iis, quæ videantur vrgere, & in quibus sine graui incommodo Generalis responsum expectari nequeat: vt habetur in Regulis Provincialis s. 7. Quod & in Regulis Praepositi & Rectoris dicitur, cum expectari responsum Generalis nequit: circa priuilegia tamen nihil tale dispositum: vnde generaliter loquendo ita est etiam in Indijs asserendum, quia pro illis nulla est exceptio, sed oppositum satis aperte in Proœmio, vt iam vidimus, præstitutum.

Pro casu nimis vrgenti præsumptione valere.

173 Quia verò esse casus nimis vrgens potest, pro eo videtur habere locum posse fundamentam præsumptionem. Id quod ex eo probari potest: quia reuera in Societate est tale priuilegium ad casum sic occurrentem, in quo dubitari nequit dispensaturam Generalem, vel certè facultatem ad vsum priuilegij concessuram, si adesset: ad hoc enim priuilegia conceduntur; alijs nulli sunt vtilitati futura. Ergo verosimiliter de illius præsumitur voluntate. Pro quo sunt Textus & Doctores adducti à Petro de Luna. *Consilio 12. num. 32.* & roborari potest ex eo quod in citato Proœmio Indici Compendij, sicut etiam in Compendij generalis Proœmio, pariter inuenimus: sic enim ibi dicitur: *Aduertendum est autem nomine Provincialium, Praepositorum, & Rectorum, subintelligendos quoque esse Vice-Provinciales, Vice-Praepositos, ac Vice-Rectores: quando nimirum nullus est Provincialis, Praepositus, aut Rector: vel adeo longe abest, vt pro rei exigentia consulti non satis commode possit.* Sic ibi. Sicut ergo quando Superior consulti nequit, ejus substituto facultas conceditur in ordine ad priuilegiorum vsum, per se, aut per alios; quia non est æquum, cum rei exigentia occurrit, priuilegijs beneficium subtrahere: ita & dicendum videtur quando nullus potest Superior consulti, aut certè ille, cui tantum est facultas communicationis attributa: ob eandem scilicet rationem: cum præsertim de animarum agatur salute, & vitandis peccatis, in quibus fauores ampliandi, vt sapius dictum. Neque obstat rationem extensæ facultatis ad substitutos non esse expressam in Proœmio: nam illa tacite inest, sed quam omnes talem sibi esse persuadent. Quando autem talis est, sufficit ad ampliandam dispositionem, vt tradit citatus Petrus de Luna cum alijs supra. Videatur Index. verb. *Ratio. §. Ratio generalis, num. 37.* cui non fideliter responderet Textus ob incuriam Typographorum. Videatur autem quæ habet à 23. & præsertim. num. 33. & 36. & in Additionibus.

Virisque Compendij verba, circa Superiorum absentiam.

Quid illi in casu vrgenti possint.

174 Et hoc quidem probatum à nobis specialiter, quatenus de omnibus loquimur, quibus